



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

Capvt XII. Verbum Fermentans.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79561)

quasi hamo capiet eum. Huius hami ferrum, virtus Diuinitatis; Vermis, fragilitas carnis, ferrum latens in verme, Diuinitas latens in humanitate; Hamus in mare proiectus, Christus in mundum missus. Satanas qui in mari mundi per idololatriam dominabatur, qui supra appellatus est Leviathan, hunc vermen morfu appetiit, sed virtus Diuinitatis eum aduncavit. Vnde quidam,

Piscator Pater est, mare mundus, Filius hamus,

Esca caro, Deitas linea, piscis homo.

En piscis homo. Ipse est igitur ad cuius capturam, vniuersa hac piscatio dirigitur. Induamus nos si sapiamus, in hunc hamum, vt vitaliter inuincemur.

CAPUT XII.

Verbum Fermentans.

389. **R**egnum cœlorum specie fermenti expressum, Matth. 13. legimus. Pro varia enim regni cœlorum notione qua nunc Christum Dominum, nunc Ecclesiam in Scripturis representat, duplicem quoque fermenti illius sensum licet colligere; alterum huc directè pertinentem; alterum quo signatur aliquid per modum effectus à priore derivatum: vtrumque attingamus.

Verbum, humanitatis Fermentum.

Fermentationem priorem qua Verbum diuinum massæ nostræ adiunctum eam sanctificauit, agnouit Naz. orat. 51. sic disputans cōtra Apollinaristas, aientes sanctā Christi carnem Verbo Dei fuisse vnītā, non itē animam. [Si quod deterius est, assumptum est, vt per incarnationem sanctificetur, an non quod præstantius est, assumetur, vt per humanitatis susceptionem, sanctitate afficiatur? Si lutum fermentatum est, (ō sapientes viri,) ac noua conspersio extitit, imago ipsa non fermentabitur, & cum Deo temperabitur, per Diuinitatem deificata?] Non dissimiliter Isido. Pelui. lib. 1. epist. 101.

Difficultas ex malis Fermenti significationibus.

390. Verū in ipso huius Allegoriæ aditu, vereor ne minus reuerenter de Verbo Dei philophari videar, si illud cum fermento humanitatis Christi componam. Certum quippe est & vulgatissimum, in Scripturis fermentum male sonare. [Quid est enim aliud nisi corruptio naturæ fermentum, quod & ipsum prius à naturali dulcedine recedens, adulterino acre corrumptum est?] Verba sunt Pelagij 1. Cor. 5. Et annuit Gilbertus c. 9. altercat. Synag. & Eccles. qui propterea ait toto septiduo veritum fermentum, quia tota vita præfens, fermento peccati, in primo homine corrupta est. [In fermento (ait Chrysologus ferm. 172.) non est moles magnitudinis, sed tumoris; & conspersio tali specie, inflata est non ditata. Quantum enim effervuerit fermenti, tantum fortius massa turgescit, & totam formam leuitatis implet & tumoris. Hac ex causa Iudæi, per facerimos dies, hoc est Paschali tempore, Exodi 7. verabantur interposita mortis intentione, panem fermentatum comedere; vel ad amouendos peccati illices ex præsentia, fermentum apud se habere, aut præterquam ad vsum sacrificij in gratiarum actionem, Altaribus illud admonere. Vnde Deus ipse Amos 4. horrenda supplicia comminatur præter cetera, eam nominatim ob causam, quod sacrificantes de fermento laudem, essent tamen vacæ pingues, & pessimè agerent. Cur autem in eo sacrificio fas esset adhibere fermentum, causa esse potuit, quia etiam de ereptione à malis agendæ sunt gratiæ. Quod videtur renouari Petrus Cellensis lib. de panibus c. 3. in fine. Super fermento quoque, vt dissert Orig. hom. 5. in Leuit.

præceptum erat offerre, quamuis non fermentum: quia super dona naturalia, vel etiam defectus nostros, Dei laudatio est edificanda; Philo lib. de Sacrificio Abelis & Caini, eò renouari videtur, cum ait. [A fermento nostro præceptum est particulam desumere. Et erit quando comedetis de fructibus terræ, auferetis particulam separatam Domino. De primitiis fermenti panum vestrorum particulam auferetis ei, si cuius partem de area sic separatam id. Fermentum istud proprie, si verum fatendum est, nos ipsi sumus, congestis & commixtis plurimis essentis, vt ex his absolueremur: frigidum enim cum calido, & aridum cum humido, potestates contrarias commixtas, & contemperatas, animalium opifex in vnum redigens, vnumquemque nostrum fecit ex ea congerie, quæ intelligitur fermenti nomine: cuius primariæ duæ partes anima & corpus, primitiæ Deo sunt conferendæ. Sunt autem primitiæ, sancti & ad virtutem pertinentes motus partis cuiusque, idē conferuntur cum area. Ergo sicut in area, triticum, hordeumque, & id genus alia seorsum separantur; aristæ verò & paleæ, & huiusmodi quisquiliæ dissipantur aliō: ita etiam apud nos, alia sunt optima, vtilia, veros cibos præbentia, per quæ recta vita perficitur, quæ quidem offerenda Deo sunt: alia verò parum diuina, relinquenda, velut reiectamenta mortali generi; ab his autem auferendæ particulæ.]

391. Ratum ergo est, azima esse familiariora creatori, vt dicitur apud Tertullianum lib. 4. in Marcion. c. 30. fermentum autem Symbolum esse malitiæ & nequitiae, vt loquitur Apostolus 1. Cor. 5. mandans expurgari, *vetus fermentum*, id est, incesto sordentem hominem, vt ceteri essent nona conspersio, sicut per Christi gratiam erant azymi. Quamquam Richardus Victorinus, tract. de dubijs à S. Bernardo propositis dub. 2. illos ipsos qui azymi erant quoad fidem, censet illos expurgare vetus fermentum quoad opera, quod ad rem presentem perinde est. Semper enim habemus, fermentum esse Symbolum malitiæ. Veram peccati originis imaginem esse fermentum, pronunciat Rupertus l. 2. in Exod. c. 15. qui etiam pro peruersa fermenti notione latè dissert l. 1. de offic. c. 12. esse typum hypocrisis, docemur ex illis Christi verbis: *Attendite à fermento Phariseorum quod est hypocrisis*. Apud Oseam c. 7. proponitur vt Symbolum idololatriæ. Sic enim accipit S. Hieronymus verba illa: *Qui erant paululum ciuitas à commissione fermenti, donec fermentaretur totum*. Climacus lib. ad Pastorem c. 14. in fine, fermentum tumoris & inflationis; notam atque adeo superbæ symbolum esse docet; azymum verò humilitatis, eò quod non turgescat, sed sessile sit, semperque sublidat, idque esse ceter, quod in Paschate azymis vescendum, mandabatur. Similiter S. August. 3. contra Parmen. c. 2. ad corruptionem superbæ refert, quia inflat, [et velut ex vetustate primi hominis qui superbia lapsus est, quasi fermentata & corrupta mente, facit elatos in vnam consensionem, qui subimet in eam simili iactantia vnitatem consentiunt.] Plenè verò de fermenti probis, & peruersa in Scripturis significatione, dissert Humbertus Episcopus syluæ candidæ l. contra Michaëlis Constantino-politani & Græcorum calumnias, initio ducto à fermenti vitiata origine. [Fermenti (inquit,) origo fit cum aut spuma musti, seu fex cuiusdam rusticæ potionis, quæ apud Gallos *cereuisia* dicitur, vel certe ins elixati hordei, aut ciceris, siue lac ficulneæ, vel pecorum, corruptum, inijcitur conspersæ farinæ. Cum ergo spuma, fex, elixatum leguminum, & lac fice vel pecorum corruptum, apud homines compurentur inter sordida; constat fermentum sordibus non carere per omnia. Massa autem cuiusque fermentum inijcitur, necesse est corrumpatur, sicut ait sapientissimus Paulus: *Molitur fermentum, totam massam corrumpit*. Vbiunque autem corruptio tam in diuinis, quam in humanis literis

irrescunt, ibi etiam deterioratio, seu vitiositas aliqua
substantie accidisse comprobatur. Vnde si non potest
aliquando corruptio in bonam patrem intelligi, nulli
dubium est, quin fermentato azyum mundus sit,
quod nullam corruptionem fermenti admittens, ex
moda farina tantum, & pura aqua conficitur. Fermen-
tum quoque si sit aliquandu in massa negligitur, tanto
maius eam corrumpit, vt vltra humanis vibus non pro-
ficiat. Deinde panis fermentatus prauo sicut efficitur mu-
cus, quod ratissime incurrit azymus, vt potè plenus
est (solus, non rarius) & cauernulosus, vt fermentatus. Ad
multas Scitipuras, quibus fermentum in pesti-
liam patrem sumitur. Non omittit Petisium, qui fermen-
to vteretur corruptos mores, facit significat, cum ait,
Hoc fermentum, ex quo semel intrus

Quid dicitur *hic nobis fermentum, ex quo semel intrus*
linata est, rapto iecore exierit caprificus?
Denique argumentatur a contrario, & azyzi sincerita-
tem ac puritatem commendat, ratur è contrario in-
telligi posse fermenti pravitatem. Azyzum enim est
sincerum, sinceritatis, & sanctimonie Symbolum; vt
propterea Nicetas ad orat. 4. Naz. dicat virtutem de-
bere esse azyzum & in fermentatam. Hec cum ita
fuit, qui ipso fronte, diuinum Verbum, ipsam scilicet
sanctitatem, sinceritatem, & puritatem, cum nequitia
de male mixtura Symbolo, auzim componere?

*Extrahatur, distinctis varijs Fermenti
qualitatibus.*

191. Ad hunc notandum expediendum, recolenda est doctrina de qua superius c.9 *sub finem*, ex D. Augustino, qui alibi hoc est l.3. de doctr. Christ. c.25. eam iterum in exemplo fermenti de quo agimus. [Non putemus (inquit), esse præscriptum, vt quod in aliquo loco per aliquam per similitudinem significauerit, hoc eam per significare credamus. Nam & in vituperatione fermentum posuit Dominus, cum diceret: *Cane et a fermentis Phariseorum*, & in laude cum diceret: *Simile est regnum colorum mulierum, quæ abscondit fermentum in tribus misculis farinae donec fermentaretur totum*. Huius igitur varietas oblatio adus habet formas. Sic enim aliud atque aliud res quæque significant, vt aut contraria aut eorummodum diuersa significant. Contraria scilicet, cum panis in bono, al. in malo res eadem per similitudinem ponitur; sicut hoc est, quod de fermento supra dictum. Tale est etiam, quod *Leo* significat Christum, *vis* dicitur; *Piscis* leus de tribu Iudæ; & significat & diabolum, *vis* scriptum est: *Aduersarius vester Diabolus* tanquam *serpens*, qui cernit, quarens quem deuoret. Ita *serpens* in bono. Effusæ affusæ, *serpentes*. In malo autem *serpens* *Eua* (saluti affusæ) *serpens*. In bono, panis: *ego sum panis viuus qui de calo descendi*. In malo autem, panis. *Panes oculis* libenter edite, Sic & alia plurima.] Multus est in hoc S. Greg. hom. 19. in Ezech. & l. 1. mor. c. 16. alijs præter hæc regula, de fermento philosophandum est in re presenti, vt interdum quidem ob qualitates quædam fons, malus (scilicet; alibi verò ob vium aut effectum aliquem bonum & commodum, fumatur in bonam partem; siquidem Deo citra labem accommode ut.

Est diffinitio vinum & qualitas, & arque
etiam significatio fermenti, continent hæc
Nazarianæ verba, orat. 42. [Hinc fermentum septem
dierum (patio labimetur; (hi enim numerus om-
nium maxime mysticus, & arque huic mundo conficiat-
us, hoc est verus, & acida prauitas; (non enim ilud,
quod pascem efficit ac vitale est:] vt ne quod Egy-
ptiacæ confectiois vitium, nec vllas Pharisæicæ &
impie doctrine reliquias nobis premeus.] Quod
Theologus, confociatum mundo septenarium ait, Ni-
ceus refert ad productionem orbis, absolutam in se-
ptiduo; cuiusque rursus consummationem in septimo
annorum millennio. Quod secundum, viderit vnde

hauserit, cum non sit nostrum nosse tempora. Fermentum verò proprietates reprobas, docet tradi, velleutatem & aciditatem; bonas, vim calefactuam idèoque tumefactionem & subleuatiam farinae, quàm ait dicti Theologo vim fermenti vitalem. Hæc vt non improbo, ita ipsam velleutatem & aciditatem aliter consideratas, benè sonate, & ad illam fermenti vitalem vim conducere, perspicuum existimo. Dicta enim videtur vitalis facultas, quæ fermentum commodat pani conficiendo, vnde vita sustentatur. At conficiendo panis, earenus vfui est fermentum, quatenus massa per velleutatem ad putredinem vergens, accescit abiecto sapore dulci quo prius pollebat. Illud verò putredinis rudimentum ex calore auctore, consequitur massa tærefacta & tumor; vnde farina cui admiscetur, non modò gratior, quippe è diluta fermenti aciditate temperatus; sed etiam soliditas & firmitas maior, quæ ad cibandum & nutriendum fit aptior. Ferpere namque suo, viscositatem massæ panis consumit; sicut è contrario panis infermentatus, etiam si corpus impingatur, quæ ex causa inde cibabantur Athletæ, tamen viciosus humo es generat, & difficultatem concoctionis creat, vt dissertit Didymus apud Constantinum l. 2. Geoponicorum, & Ioannes Langius epistola medic. l. 1. in 6. p. vnde vides quod Plinius rectè notauit l. 18. c. 11. totam originem vitus quem habet fermentum ad panis confectionem, & huius vitæ sustentationem, ex aliquali putredine, & mutatione status sui in deterius, lumere principium; indèque fieri, vt conspersio ad fermenti similitudinem trahatur.

Quomodo Verbum, humanitatis fermentum.

393. Hæc quomoddò in Verbum diuinum massæ humanitatis copulatam cadent, periculum est. Imò non aliò pertinere hinc ferantur & conspersionis, inde Verbi & humanitatis assumptæ similitudinem in Scripturis & Paribus viurparam, admonet Elias Cretensis ad orat. 51. Nazianzenus: etiam nonnulli Græci apud Rupertum 2. de offic. c. 22. Et apud Stephanum Ednensem 1. de Sacram. Allec. 17. conuenient fermentum esse Symbolum Incarnationis, quia tunc facit; Deipare autem veteris de Spiritu sancto incommut. Ex quo vt Rupertus rectè obijcit; sequeretur, Deiparam esse panem nostrum. Propria igitur ratio est, quam ex Eliâ tetigimus. Verbum enim Dei quamvis re ipsa planè immutatum; ex quo tamen per assumptionem humanitatis, deriuat & exinanitur (semetipsum, massam cui copulatum est ac tenaciter illigatum, suis veluti qualitatibus ac prærogatiuis imbuat: cum humanitas sit aliquicuius personæ quæ verè Deus est, & homo inde constitutus, non purus homo, sed Deus homo nominetur & sit. Insignis planè non iam rumor, sed magnitudo, & solida amplificatio, assumptam hanc feruentem, massæ suæ humanitati aliquid conciliat. [Fermentum atque virtutem omnibus notam esse, non dubium est. Nam cum sit magnitudine paruum, specie simplex, natura commune, tantam fortitudinem intrinsecus gerit, vt cum reconditum fuerit in farina succus, hoc totam massam faciat esse quod ipse est, & ita semper vniuerum cumulum aspersiois suæ vigore diffundit, vt omnem ipsam magnitudinem polliis, faciat fermentum: ac sic res ipsa fortitudine sua, molem sibi proprij vigoris acquirit.] Verba sunt Maximi apud Ambrosium ferm. 1. quæ de diuino hoc fermento ad humanitatem Christi collato, veritatem habere, iuxta supradicta, nemo non videt.

Patrum suffragia.

394. Suffragantur Patres, qui mixturam trium fa-
rinæ satorum in quæ fermentum per Evangelicam
mulie

mulierem est immisum, interpretatur Verbi Divini copulationem cum humanitate, interposito assensu Deiparæ. Videtur hoc voluisse Cosmas Hierosol. carn. in Theogon. cum dixit novus ex Adam puerulus, fermenti natus est Filius. Sed expresse Petrus Chrysologus ferm. 67. & 71. factum fermentum magno pietatis Sacramento Verbum Dei, & farinæ humanitatis assumptæ coniunctum, scitè proponit. Et ferm. 99. *sub finem*, admiratur divinum consilium, quod cum mulier male humanum genus fermentasset fermento nequitie, providit è contrario divina ars, ut per mulierem Deus Verbum, sanctificandis naturæ nostræ pretiosissimis cibis atque primitiis adhiberetur, tanquam fermentum: [Ut mulier quæ corrumperat fermento mortis in Adam totam massam generis humani, fermento resurrectionis totam carnis nostræ massam reintegraret in Christo: ut mulier quæ confecerat panem gemitis & sudoris, panem vitæ coqueret, & salutis, & esset omnium viventium mater vera per Christum, quæ erat in Adam mater omnium mortuorum. Ob hoc namque Christus nasci voluit, ut sicut per Euvæ venit ad omnes mors, ita per Mariam rediret omnibus vita. Quæ Maria huius fermenti implet typum, similitudinem præfert, consignat figuram, dum de supernis suscipit fermentum Verbi; & humanam carnem in aluo Virginis, in eo in aluo Virginis, cœlestem totam conspergit in massam.]

Consentit S. Bern. ferm. 2. de nativ. Dom. & l. 5. de consid. c. 10. quoddam enim fermentum ait esse fidem Deiparæ, eò dumtaxat pertinet, quod hæc ut vocat *commixtio* & fermentum personæ Verbi cum humanitate, nõ nisi interposito assensu Virginis perfecta sit in eius utero. Quia etiam ex causa Andreas Hierosol. orat. in Angelic. salut. vocat Deiparam, [Fermentum sanctum ex quo totius humani generis massa fermentatur:] nempe, quia eius interuentu, Verbum humanitati nostræ in vno individuo est copulatum: vnde in totam speciem refusa est sanctificatio.

Eit de hac fermentatione insignis locus ex S. Gregorio, adductus à S. Thoma opusc. 1. *sub finem*, ex Registro, & à Gennadio lpro Synodo Florent. c. 2. sect. 5. nec non apud Anonymum à Steuatio t. 4. bibl. editis, tractatu contra Græcos, in solutione quarti contra azimum ex Græca (ut ait) vita S. Gregorij, narrante quæ enim Græcis egisset legatus Constantinopol. [Solet plane (ait S. Gregorius) moneri quaestio, quod in Ecclesia alij fermentatum offerunt, alij panes azymos. Esse namque Ecclesiam distinctam quatuor ordinibus, nominis, scilicet, Romanorum, Alexandrinorum, Hierosolymitanorum & Antiochenorum: quæ Ecclesiæ generaliter nuncupantur, cum vnam teneant Catholicam fidem, diuersis tamen vtuntur officiorum mysterijs. Vnde fit, ut Romana Ecclesia, offerat panes azymos; propterea quod Deus sine vlla commixtione carnem suscepit, sicut scriptum est: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*. Sic ergo pane azymo efficitur corpus Christi: nam ceteræ supradictæ Ecclesiæ offerunt fermentatum, pro eo quoddam Verbum Patris indutum est carne, & est verus homo; sicut fermentum commiscetur farinæ, & efficitur corpus Domini nostri Iesu Christi verum. Sed tam Romana Ecclesia, quàm prædictæ, pro ineffabili mysterio; tam fermentatum, quam azymum, dum sumimus, vnam corpus nostri Saluatoris efficitur.]

Trepidè allego in hanc quoque sententiam Gnosticos apud Irenæum l. 1. c. 1. fit tamen hæc non iam dictorum confirmatio quàm condimentum. Sic igitur habent. [Quoniam autem eorum quos saluaturus erat Saluator, niteri accepit Paulum dixisse, *Et si delibatio sancta, & massa*. Delibationem quidem quod est spirituale dictum docentes, conspersionem autem nos, id est physicam Ecclesiam, cuius substantiam ad-

sumpsisse dicunt eum, & cum semetipso erexisse, quoniam erat ipse fermentum.

Ritus antiquus missationis fermenti, eodem apertus.

395. Planè verò spectat ad hanc rem priscus ritus Ecclesiæ Catholice, cuius est mentio apud Auctorem libri de Romanis Pontificibus in Melchiae; ubi constitutum ab eo ait, [ut oblationes consecratae, per Ecclesias ex consecrato Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.] Rursusque in Siricio. [Hic constituit, ut nullus Presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi cōsecrato Episcopi loci, susciperet declaratum (fortè directum),] quod declaratur fermentum. Sed & Innoc. I. epist. ad Decent. cap. 5. querenti Decentio an vsus Romanæ Ecclesiæ mittendi à Pontifice fermentum per titulos intra ciuitatem constitutos, vsurpandus esset in parochijs; Negat id esse faciendum. Se namque ait, tantum mittere fermentum ad Presbyteros intra urbem positos die Dominico, ut quia Presbyteri illi plebem sibi creditam curantes, conuenire non poterant ad Pontificem, fermentum ab ipso consecratum acciperent per acholytos, ut [se (inquit)] à nostra communione, maxime illa die, non indicent separatos.]

Differuit de hoc ritu Cusanus epist. 7. ad Bohemos & Anonymus Auctor operis de Diuini officij quem quoad hoc punctum descripsit Pamelius tom. 1. Liturg. Lat. pag. 489. Fusè item Baronius anno 313. à num. 48. cui adhæsit Seuerinus Binius in notis ad vitam Melchiadis Papæ, putatque Baronius aliud non fuisse, quàm fermentum ab Episcopo benedictum ex quo coagmentaretur massa, & panis fermentaretur, qui diceretur oblatio; & à prima materia, *delectetur*, id est, *nominaretur* fermentum: quamvis non esset fermentum nudum, sed panis fermentatus benedictus, quo Episcopus in Symbolum communionis, Presbyteros suæ communionis impetiret. Nolo iudicium Scriptoris æterna memoria dignissimi interpellare. *Fermentum* tamen ab ipso Pontifice siue Episcopo benedictum, pro pane ex eo fermento cōfecto accipiendum esse, non video quid euincat, cum missum potius panem fermentatum ab Antistite ipso, benedictum, proclius sit existimare. *Declaratum* item fermentum, idem esse quod *denominatum*, agere persuaderetur; cum sit in promptu natia vocabuli notio, opportune cadens in hunc locum, ferensque, mysteria in fermento latentia cum dirigeretur, declarata fuisse, siue ex breui quapiam formula tunc recitata; siue ex doctrina declarata in Ecclesia, innotuisse dantibus & accipientibus fermentum illud: nempe, non modò ad signum communionis Catholice, sed etiam & quidem primò ad designandam radicem nostræ inter nos & cum Christo communionis, quæ ex vnione humanitatis ad Verbum Dei illam fermentans, est derivata. In hanc siquidem coniunctionem, primò ac præcipuè collimasse mysterium illud & Sacramentum fermenti, (sic enim Innocentius suprà nominat, quod Iustellus ad canones Ecclesiæ vniuersæ, & alij nonnulli perperam acceperunt de Eucharistice Sacramento;) argumentum est, quod hæc sit primaria fermentatio cuius est in Scripturis mentio: vnde nostra quoque cum Deo fermentatio, & in vnam fidē coniunctio, ortum habuerit.

Massa totius humana, à Verbo, per singularem Christi humanitatem fermentatio.

396. Fermentationem alteram, à Diuino Verbo primitijs conspersionis nostræ coniuncto, causatam in tota humanæ naturæ massa, facillè erit intelligere; si supponamus cum S. Macario hom. 24. statum nostrum

ex quo per Adamum sumus fermentati. [Quemadmodum Adam transgressus mandatum, (inquit S. Macarius) fermentum malitiositatis; idem & participatio quadam, qui ex eo nati sunt, ac vniuersum genus adz. fermenti illius participes effectum est. Vnde tantum promouerunt, & creuerunt in hominibus affectus peccati, vt ad adulteria vsque, ad petulantias, idolorum culturas, credes, & alia absurda deuenerint, quod quidem humanitas vino esset fermentata: Quod quidem aqua homines ita inualuit, vt ne Deum quidem esse putarent, sed adorarent lapides anima carentes, esse possent intellectum Deum capere, tam profunde fermentum illud nequize affectionum, consperserat progeniem veteris Adz.] Tantum S. Pater, de peccati fermento, quo primus Adam se primum, tum omnem posteritatem commaculauit & deperauit. Sequitur quod eundem, quod est contrario Deus, per Verbum suum consequenter ad eam fermentationem qua vniuersam quaque speciem scilicet fermentauit. [Eodem modo (inquit) placuit Domino, in aduentu suo pati pro omnibus, & eos proprio sanguine redimere, ac fermentum celestis bonitatis fidelibus animis infundere, quod sub peccatum redacta fuerant: & ita promotione ac clementia, omnem mandatorum iustitiam, ac virtutes vniuersas, in eis complere, donec in bono fermententur in vinum, & cum Domino euaderent in vinum spiritum.]

Fuit Caput Incarnationis, iuxta Patres.

377. Hunc fuisse Incarnationis Verbi & secundae fermentationis hactenus exposita finem, pulchre attingit S. Hilarius l. 1. de Trinit. cum ait: [Virgo, partus, & corpus, postque crux, mors in feni, salus nostra est. Humanum enim generis causa, Dei Filius natus ex Virgine, & Spiritu sancto, ipso sibi in hac operatione famulatus, & ita (videlicet Dei) inumbante virtute, corpori sibi inita conseruit: & exordia carnis instituit, vt homo factus ex Virgine natura in se carnis acciperet, perque huius admixtionis societatem, sanctificatum in eo vniuersi generis humani corpus existeret; vt quemadmodum omnes in se per id quod corporeum se esse voluit conderentur; ita rursus in omnes ipse, per id quod eius est inuisibile, referretur.]

Optime item Naz. orat. 36. num. 89. post exposita diuina Christi nomina, [Nunc (inquit) ad ea veniamus, quae proprie nostra sunt, humanitati quae assumptae. Homo itaque dicitur, non solum vt per corpus ad corporibus capiat, qui alioqui ob imperceptibilem naturam suam capi non poterat: sed etiam, vt per se hominem sanctitate afficiat, fermentique instar vniuersae massae sit, sibi quae vniuersis, quod condemnatum fuerat, totum illud a condemnatio one liberet, omnia pro nobis, quae nos sumus, excepto peccato, factus, corpus, anima, mens, (per quae videlicet mors praeparata) & quod ex his commune est, homo.]

Ad eundem mentem Isidorus Pelus. lib. 1. epist. 201. [Caeorum regnum fermento comparatum est, hoc est Domini & Saluatoris nostri Incarnationi, peccati omnis experti, quae vniuersum terrarum orbem conspersit, & vniuersi corporis ex nostra substantia atque a Genitrice Dei Maria sumpti, coagmentationi, quae homines omnes qui ab orbe condito extiterunt, ad nouum vitam renouauit.]

Copiose ac splendide S. Maximus sermone apud Ambrosium 5. [Dominus (inquit) est fermentum; quia fermentum non nisi de tritico fieri solet. Recte ergo fermento Dominus comparatur, qui cum esset specie homo, humilitate paruus, imbecillitate deictus, tanta interfectis sapientia virtute pollebat, vt doctrinam ipsius, mundus ipse vix caperet: qui cum se capis per totum orbem diuinitatis vigore diffundere, statim om-

ne hominum genus in substantiam suam sui potestate protulit, vt & iugum Spiritus sui sancti infunderet omnibus; hoc est, Christianos cunctos, faceret esse quod Christus est. Nam quod homo Dominus Iesus vnus & solus, esset in mundo tanquam fermentum in massa reconditum, vniuersos homines praestitit esse quod ipse est.] Et mox. [Sicut igitur fermentum cum in cumulum conspergendum est farinarum, consingitur, comminuitur, dissipatur, & ipsum omne dissoluitur, vt disperfam illam farinae multitudinem in vnum vigorem constringat, atque in solidum corpus redigat, quod in pulueris modum ipsa diminutione languebat, faciatque coniunctione sui vtilem massam, quod propria dissolutione videbatur inutile: sic & Dominus Iesus Christus, cum esset totius mundi fermentum, diuersis passionibus contractus, laceratus & dissolutus est, & succus eius pro salute nostra, qui est pretiosus sanguis, effusus est, vt admixtione sui omne genus humanum solidaret, quod per diuersa antra reolutum iacebat. Sic enim velut fermentum quoddam nos, qui farina ex gentibus videbamur esse, adhaesimus. Nos inquam, qui per totum orbem dispersi & diminuti, penitus iacebamus, vigore passionis Christi, in ipsius corpus redacti sumus, sicut beatus Apostolus ait: Quoniam sumus corpus Christi & membra. Nos igitur qui ex nationibus in pulueris modum de terra facie iacebamus, asperione sanguinis Domini, in massam soliditatis eius aggregamur.]

Similiter Deiparam alloquens S. Germanus Constantinopol. orat. de Maria. Deip. [Benedicta tu inter mulieres, spiritualis Bethleem natura atque cognitione, vini panis domus spiritualis, & facta & appellata. In te enim habitauit nobiscum contemperatus non committus fermento, totum sibi Adamum fermentans, vt panis fieret vnus ac celestis.]

Vsu doctrinae.

398. Effectum hunc diuini fermenti in massam nostram, amulari nituntur quotquot praestitum a Christo beneficium, rite aestimant. [Quisquis illi fermento Christi adhaeruit, efficitur & ipse fermentum, tam sibi velis, quam idoneus vniuersis, & de sua certus salute, & de aliorum acquisitione securus.] Verba sunt Maximi sermone illo 5. Fuisseque hoc vitium suum, vt essent in vrbibus aliqui, qui quasi fermentum facti alijs, multos ad sui imitationem traherent, dixit S. Chrysostomus hom. 43. in Genes. taleque fuisse Moysen & Aaron qui fermenti in more multos patriae virtutis amulatores reddiderant, ait orat. de S. Eustachio in fine; vbi quod de Moysen & Aarone retulimus, confirmat ex eo quod praeter Filios Israel, ascendit de Aegypto cum eis, vulgus promiscuum innumerabile: quod S. Chrysostomus censet eorum fuisse, qui probo Moysi & Aaron exemplo fermentati, ad Hebraeos ritus accesserant. Tale fermentum si in vrbibus abundaret, diffunderetur honesti amor, & vitij dilatio inhiberetur. Recte enim pronunciatum est a S. Matthia, vt refert Clem. Alex. 7. Strom. cap. 8. pag. 828. [Si peccauit vicinus electi, peccauit electus. Nam si se ita gessisset vt iubet verbum, seu ratio, eius vitam ita esset teneritus vicinus, vt non peccasset.] Fermentasset videlicet illum; & quam a Christi fermento accepit beneficentiam, in alium prodidisset, factus & ipse instrumentum diuinae bonitatis, vt ibidem praemisisset Clemens; quo nescio an quicquam homini gloriosius queat accidere.

Verbis in speciem oppositum ferentibus, sed re ipsa sensu eodem, S. Ambrosius lib. 2. de Praenit. cap. 15. ait. [Ecclesiam, atque adeo probos quosque, expurgate alienum fermentum: siue quod tota Ecclesia suscipiat onus peccatoris, cui compatiendum & fieri, & oratione, & dolore est; & quasi fermento eius se totam

conspersat, ut per universos, ea quæ superflua sunt in aliquo præsentiam agente, vitium misericordie, aut compassionis velut collatiua quadam admixtione purgentur: siue ut illa mulier evangelica docet, quæ typum præterit Ecclesiæ, eò quodd fermentum abscondit in farina sua, donec fermentaretur totum, ut mundum omne sumatur. Docuit me Dominus in Evangelio, quid sit fermentum, dicens: *Non intelligitis, quia non de pane dixi. Attendite a fermento Phariseorum & Sadduceorum. Tunc* (inquit) intellexerunt, quia non dixit à panibus, sed à doctrina Phariseorum & Sadduceorum attendere sibi. Hoc ergo fermentum, hoc est doctrinam Phariseorum, & disputationem Sadduceorum abscondit Ecclesia in farina sua, cum literam legis dariorem, spiritali interpretatione mollit, & velut mola quadam suæ disputationis infregit, proferens velut de folliculis literarum mysteriorum interna secreta, & resurrectionis fidem astruens, qua Dei misericordia prædicatur, qua reparari vita creditur mortuorum.]

399. Miseri è contratio, & omni probro coopetti, qui ut modicum fermentum totam massam corrumpunt, facti instrumenta satanæ ad fermentandos mortales, & fructum illius fermenti quod Christus est, disperdendum contratio effectum. Hoc in omnes planè improbos cadere, quorum vel exemplo, vel quod deterius est instigatione, aut impulsu, alij ad malum inducuntur: S. Chrysost. hom. 1 j. in ep. 1. ad Cor. rectè monuit, di-

cens, non solum fornicarium ab Apostolo reprehensum, fuisse fermentum alios corrumpere aptum; sed idem esse de quouis improbo statuendum. Heu quam multiplex in orbe fermentum huiusmodi. Verissimè tanè Egypto mundus collatus est, at ut observat Petrus Celleris l. de panibus c. 4. in fine. [In Egypto, nec nominatur azyma: totum fermentatur, totum corrumpitur. Melior dicitur, qui corruptior. Conquinatus, & infidelibus, nihil mundum (ut ait Apostolus,) sed polluta sunt eorum mens & conscientia. Etiam quiescens Egyptus ab operatione exteriori, iuxta quod dicit Salomon: *manu in manu, non erit innocens malus: dum non animadvertit, fermentatur. Sicut pasta, non solum cum ei admiscetur fermentum, fermentatur; sed multo magis cum à commixtione cessat, qui commiscuit, & ipsa pasta bene cooperta, quasi quiescens obdormit. Sic animo concepta malitia, etsi videatur aliquanto tempore (forte, quia deest occasio) à malo opere cessare, eo tamen quasi acrius sentit in corde, quo non transit in opere. Vnde Oseas. *Paululum civitas quiescit à commixtione fermenti, donec fermentaretur totum: quasi diceret; ut studiosius cogitatum perpetret malum; callidius pro tempore trahit manum.*] Si qui malo in speciem temperant, non sunt à mali fermento immunes, quantum erit orbis fermentum, quamque verè fas erit dicere, *corrupti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.**

